



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XXVII. De beneficiorum pluralitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

tinuis & quadragenaria possessione. Si vero commenda est *decretalis*, h. e. ad dies vitæ titulati; papa eam denegare potest, licet plures invicem successerint. Magno beneficio impu- tandum, si beneficium regulare commendat. Commendatarii partium est, onera ferre, re- parationes suscipere, ornamenta suppeditare, eleemosynas erogare; cetero proventu libere utitur instar *titulati*. Immobilia immo nec mobilia pretiosa alienare potest. Fit collator beneficiorum, habetque locum & omnes ho- nores titulati. Cavendum, ne sui causa vel publicus cultus, vel religiosorum numerus minuatur. Religiosi permanent sub *jurisdictione superiorum regularium*, habentque *priorem claustralem* vel alium superiorem regularem, interioris disciplinæ custodem.



## CAP. XXVII.

DE BENEFICIORUM PLU-  
RALITATE.

## I.

UT unum corpus naturali ratione duobus Occasio pluralita- tis bene- ficiorum, locis præsens esse nequit, ita unus cleri- cus duabus Ecclesiis servire non potest; & in eadem Ecclesia inutile foret *plures* ministros in- stituere ad functiones, quibus *unus* par est. Equidem quo quisque servit utilius, eo pin- guiora laboris præmia tulit ex præcepto Apo- stoli <sup>1</sup>: sed in duobus Ecclesiis nemo *matricula* inferi aut *titulum* capere potuit <sup>2</sup>. Post par-

tionem proventuum compertum est, quædam beneficia tam esse tenuia, ut non sufficerent alendo clerico, nec continuum servitium flagitarent. Ex quo fundamento uni plura attribui cœperunt beneficia, veluti canonicatus C. librarum & sacellum LX. librarum, ea conditione, ut quotannis, vel in eadem vel in vicina Ecclesia missæ V. & VI. celebrentur,

1) 1 Tim. V. 17.

2) Concil. Nicæn. c. 15. Antioch. c. 3. Chalced. c. 10. Emerit. c. 19. Tol. XVI. c. 5.

ejus ab-  
usus,

II. IRRUENTE morum remissione hoc obtentu plura beneficia, locis remota, & cum animarum cura conjuncta; immo plures curæ, pluresque Episcopatus conjungi cœperunt, quum existimaretur, officio satisfieri, si alteri spartæ ornandæ præficeretur homo quantivis pretii, qui fructuum partem caperet<sup>1</sup>. Mederi nitebatur huic malo concilium Lateran. 1179. quod collationem secundi beneficii irritam declaravit<sup>2</sup>. Huic succenturiatur Lateranense 1216. quo decretum est, ut, si quis beneficium curatum habens aliud ejusdem speciei recipit, primum vacare censeatur, & si id conservare contendit, etiam secundo privetur<sup>3</sup>. Idem de dignitatibus seu personatibus sancitum, quorum duos in eadem Ecclesia nemo habere potest. Additur autem eodem: *Circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ quum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari.* Quo ipso tam lata dispensationibus fenestra aperta est, ut videantur esse juris communis, nec ordinariis, si quem clericum plura beneficia curata posside-

re comperissent, plus licuit, quam interrogare de forma dispensationis debita, & dispicere, ne animæ negligenterentur. Quæ sanctio est Gregorii X. in concil. Lugdun<sup>4</sup>. Sed inventæ sunt fraudes, quibus hæc omnia superabantur, videlicet *uniones beneficiorum*, ad dies vitæ titulati, & *commende*, cum omnis generis titulis compatibles, sic ut titulus unius episcopatus haberet sæpe duos vel tres alios, ut administrator seu commendatarius.

- 1) Concil. Paris. IV. an. 829. Concil. Claram. sub Urban. II. c. 12. c. 14. C. 5. X. de præb.
- 2) Cap. eod. c. 3. X. de Cler. non resid.
- 3) C. 28. X. de præb. 4) C. 3. de off. ord. in 6.

III. CONCILIUM Tridentinum principio prohibuit pluralitatem beneficiorum, curam animarum habentium, aut alias incompatibilium, remque reduxit ad decreta Innocentii III. & Gregorii X.<sup>1</sup>. Post generatim pluralitati adversatur, & singulis singula beneficia conferenda statuit<sup>2</sup>. Si unum non sufficit, jungi potest beneficium simplex, si tamen neutrum requirat residentiam. Hæc lex stringit omnis generis beneficia, sæcularia, regularia, immo & commendas. In Francia prohibita est pluralitas beneficiorum, animarum curam habentium<sup>3</sup>. Sed senatus consulta Parisiensis canonicatus quoque cum curis h. e. cum omnibus beneficiis residentiam postulantibus consistere non posse statuerunt<sup>4</sup>. Simplicium beneficiorum pluralitas permittitur & cujusque pudori relinquitur, quantum sibi necessarium existimare velit. In Germania pontifex permittit, ut unus plures Episcopatus possideat, quia Ec-

natura hodierna.

pluralitas beneficiorum in

Germa-  
nia quare  
permissa?

clesiæ interesse putant, principes Ecclesiasticos maximis proventibus latari, quo protestantibus pares esse queant.

- 1) *Sess. 7. c. 2.* 2) *Sess. 24. c. 17.* 3) *Stat. Bles. art. 11.*  
4) *Mem. du Clergé part. 2. tit. 14. n. 15. tit. 15. per tot.*



## CAP. XXVIII.

## DE RESIDENTIA.

## I.

Residen-  
tia neces-  
saria.

**P**RIMIS sæculis clerici omnes titulis suis, veluti cardinibus, fixi firmique inhærebant, quos deserere, vel in aliam diœcesin migrare sine Episcopi venia non poterant, nisi cum ipsi, tum Episcopi, qui eos recepissent, excommunicari vellent<sup>1</sup>. Sed ex quo clerici ordinari cœperunt sine titulo, vagabundorum numerus mire excrevit. Deinde beneficiorum pluralitas necessario residentia neglectione involvit, & quæ avaritia beneficia multiplicavit, eadem servitium Ecclesiæ susque deque habuit, lucro unice dedita. Unde legimus Episcopos & clericos, multis beneficiis ornatos, procul Ecclesia omne ævum in aulis principum, vel quocumque aut negotiis aut voluptatibus suis traherentur, exegisse<sup>2</sup>.

- 1) *Conc. Nicen. c. 26. Chalced. 10. 20. Antioch. 3.*  
*LEO ep. 84. ad Nicen.*  
2) *PETRUS Bles. ep. 84.*

ex certis  
caussis.

II. FUERE tamen justæ absentia causæ, ut, iter ad concilium, ad Episcopi consecrationem, ad Ecclesiæ dedicationem. Non-